ECCLESIA DEI DIVINO SPIRITU MOLITORE RUINARUM INSTRUMENTIS...

Paolo Girolamo Pallavicini,
Valenti Gonzaga




INNOCENTIO XII.
PONT. MAX.
PAULUS HIERONYMUS PALLAVICINUS
Fœlicitatem.



HRISTI Domini Ecclesia, quæ divini Spiritus Adventu, antiquis excidiorum instrumentis, sono scilicet, igne, & diversitate linguarum, extructa per hanc Orationem describitur, tuo notari nomine postulat, BEATISSIME PATER. Ille enim ipse in Elclesiæ Te Caput assumpsit Cœlestis Spiritus, qui mirificis illis olim modis molitus Ecclesiam est. Sisto igitur Beatitudini Tuæ expressam hic Christi Ecclesiæ structuram, quam Ipse tibi divinus Opifex concreditam voluit, dum Sacro Terrarum Imperio dignus, Cælo judice, & suffragante Spiritu veritatis, es visus. Et dignus quidem: si enim, quæ antiquitus fuerant exitia, nova vertit in beneficia Deus, dum Ecclesiam molitur; Tu vel ipsa calamitatum nomina splendida miseratione illustras, Ecclesiam dum regis. Inopiam nempè, luctum, atque famem non modo augusto, benignoque vultu excipis, verum etiam liberali, ac regia pectoris beneficientia ad de-

licias usque solaris: ut quibus erecta, iisdem stet Machinis Ecclesia, calamitatibus nimirùm in fœlicitatem conversis: Quâm benè Pontifex Beatissime, Petri solium imples, si ad illud unà cum sceptris Dynastarum lacrimæ Populorum advolvuntur, ut divino Tuæ liberalitatis ingenio eliquentur in gaudia? Quam abundè Christi Oves pascis in Vaticano, si te Pastore egenis, & miseris felicitatis argumentum est, non esse felices? Quam aptè Tibi traditæ Regni cœlestis claves, si regiam sanè domum, & quoddam quasi Cœlum in terra iis reseras, qui inopiæ suæ angustiis pressi vel terræ angulum desperaverant? Optimo igitur jure, quam Ecclesiæ spopondit Deus, Tibi beneficientissimo Pastori ac Parenti immortalitatem auguramur. Esto ipsa Tui nominis immortale monimentum Ecclesia; ipsa, dum Tu, præstructo Tibi exiguo corporis tumulo, famam, vel ante cineres, contempsisti, egregio contemptori amplissimè pensabit contemptæ gloriæ jacturam solidissima æternitate: ut simul cum ipsa Dei Ecclesia terroris & ruinæ instrumentis divinitus erecta, nunquam non mansura, maneat semper in Posteritatis animis & linguis faustissimum, atque augustissimum nomen, INNOCENTIUS XII.

ORA-



ORATIO.

UVAT in Cęlum timida nimium vota laxare, B.P., cum Dei Spiritu adveniente, eò fęlicitatis deventum, ut in ſpem abierint timoris irritamenta, & futuræ in argumentum victoriæ ceſſerint præteritarum cladium inſignia. Nihil certè nobis timendum magis, quam timor votorum, quando cęleſtis hic Spiritus, quæ in Orbis perniciem è Cœlo contorſerat exitiorum inſtrumenta, jam in Orbis arma, non ad hoſtilem, ſed amicam, & amabilem Cęli expugnationem recudit: & quibus olim petebat hominum ſcelera machinamentis, eriguntur hodierna luce ſpes omnium, & vota. Sonum ſcilicet, Jerico antiquitùs everſorem, nunc ad Eccleſiam ſtatuendam attemperat; hanc ut muniat, flammas olim in Pentapolitanum excidium effuſas eventilat; hæc demum Cęlo

con-

contermina ut fiat, linguarum divortia, quibus grande Babilonicæ Arcis rudimentum elusum jacuit, in partem operis vocat. Sic firmior ex Sono, ex Igne validior, ex Divisione linguarum excelsior Civitas Dei, per tria exitiorum instrumenta & nomina, architectante Dei Spiritu, feliciter extruitur, & firmatur.

Spiritus igitur veritatis septem illas buccinas impulit, quibus olim personare Sacerdotes videbantur, obsessa Jerico mœnia septiès in orbem obeuntes: eo maximè nomine victoria digni, quod ad victoriam, per quamdam triumphi potius, quam certaminis, speciem, mirificè pergerent. Quasi insanientes ex adverso hostis irridebat, quos debuerat timere, cum cęlesti sapientia feliciter insanirent; nec telorum acie, sed Dei armarentur instinctu, victores ante futuri, quam milites. Septenis iterum classicis canitur, dum totidem nempè muneribus, repentinus è Cęlo sonus, tamquam Advenientis Spiritus vehementis, augustam Apostolorum Curiam implevit, non ut Ecclesiæ Senatum affligat, sed Patrum ut animos firmet, quorum subindè sonus in omnem Terram exivit, acceptæque divinitatis copiam refundens, Populos, & Regna salubriter inflammavit. Sapientissimam illis insaniam ebrietati verterit Hierosolyma, riserit Gentium

con-

contumacia, excruciarit rabies Tyrannorum ; felicissima celeritate pugnatum tamen : primo Evangelicarum Tubarum clangore fusi hostes, strata Idola, diruta Templa, in Capitolio triumphatum.

Triumphator verò Sonus ad triumphum cum Igne conspiravit, quicùm bellator coniuraverat in bellum. Ex altó sulphuris aggere quinque illæ Urbes, flagitio juxtà infames, ac exitio nobiles, lividos hùc oculos vertant. Pluvium in flammas Cęlum, quo illarum fortasè adhuc cineres calent, nascentem Ecclesiam cingere, ac munire suspiciant, ardentium vallo tempestatum. Horrendum in illis supplicium, maximum in ista beneficium, Spiritus æstuantis incendium. Illud, in Uxore Lothi crimen fuerit, vel spectasse; hoc, in Apostolis virtus est, vel meruisse; laus exoptasse; privilegium sensisse. Hinc in Orbem Universum volatilis elementi impatientia, hinc in Populos lux irrequieta, hinc ardor ineluctabilis. Terris longè latèque conflagrantibus, undique concursum ad flammas, toto quas non potuit Nilo, aut Gange, aut Oceano interfuso Terrarum Orbis restinguere. Quinimò ex ipso Apostolorum sanguine vires intendebat ignis in funere, majus ut excitaret incendium post cineres.

Absoluta tandem res est, ac triplex illud exitiorum nomen migravit in structuram, & incre-

incrementum Ecclesiæ : hujus nimirùm erecta Moles, eadem diversitate linguarum, qua Babilonicæ Turris elisa temeritas est. Illàc enim itum in astra, quà Gigantum deturbata superbia, inauspicatum iter molientium. Tunc vocum discordia machinas in Cęlum euntes disiecit; nunc in discipulos dispertita linguarum diversitas iter in Cęlum aperuit. Nec sanè Gigantes Apostolis defuere, in quos armarent multiformes linguarum suarum ignes. Dedere Inferi Tirannos, vetus Roma Cęsares dedit, Gigantes suos : datura postmodùm in Pontificibus Sanctissimos Ecclesiæ totius Pastores, & in Purpuratorum Patrum Senatu almæ Sionis imaginem.

Statuam nescioquam memorant, quæ diù scalprum lassaverat, nondum perfecta cum foret, fulminis ictu absolutam. Christi Ecclesiam verè statuam dixeris, quippè adversùs irruentis Inferi portas verè stantem, semperque constituram. Statuam hanc fragore, & flammis, & linguarum divortiis, tribus quasi exitiorum nominibus, & fulminibus habemus è celo, quam prodigialiter, tam fęliciter, & fundatam, & extructam.

F I N I S.